


Jacob Fabricius Adam Orthmann


Disputatio Medica De Peste

Rostochii: Richelius, 1632

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74256584X>

Druck Freier  Zugang






F. J. 105
F. J. ~~105~~. XXVIII

Ma-3835¹⁻²⁶

1008





DISPUTATIO MEDICA
DE PESTE,

Quam
annuente Jehovâ,

Ex decreto, & autoritate Amplissima Facultatis
Medicæ in Academiâ Rostoch.

Sub Præsidio

Viri Clarissimi & Excellentissimi,

DN. D. IACOBI FABRICII,
p. t. Magnifici Academiæ Rectoris, & Facultatis
Medicæ Decani, Archiatri Megapolitani, & Profes-
soris ordinarij, promotoris ac præceptoris
æviternum colendi;

Pro summo in arte Medicâ gradu consequendo,
Publico Examine subijcit

ADAMUS ORTHMANNUS
Parchimo Megapolitanus.

In Auditorio Majori, horis ante & pomeridianis
ad diem 18. Octob.



ROSTOCHII,

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ.
ANNOM. DC. XXXII.





I.

Varij generis mala humanum genus, ob primævam labem affligunt, nec ullum crudelius peste, quæ ceu fera quædam venenata non paucos miserè perdit, & totas sæpe depopulatur civitates, cujus considerationem tam Theoreticam, quæ formâ, subjecto, Causis & Signis definitur, quàm practicam, quæ præsertatione & curatione absolvitur, in brevi τόπος καὶ δὲ ἄλλοις publicæ disquisitioni subijciemus.

II. Definitur *intemperies Cordis qualitatis occultæ, maligna, perniciofa, contagiofa & Epidemica*, in corpore genita, vel extrinsecus adveniens, plerumq; cum febre, anthracibus, bubonibus, plures simul invadens.

III. De Genere variè controvertitur, & nos Pestem ad nullum vulgarij morborum genus, sed ad morbos totius substantiæ, seu occultæ qualitatis intemperie, referri cum nõ paucis rectè statuim9, non quod forma sit obnoxia morbis; sed quod illorum qualitas occultæ immediatè fluat ab ipsa formâ, & illorum natura non tam in manifestis, quàm in occultæ quædam, nativo calori cordis infensissimâ qualitate consistat.

IV. Subjungitur *maligna, perniciofa*. Infert enim pestis cordis suam perniciem, communicando qualitatem malignam, quæ, quia est Spiritalis, velocissimè eò penetrat, ejusq; spiritibus permixta, sæpe paucarum horarum spacio, hominem antea probè sanum occidit, tum adversando occulto veneno spiritibus Vitalibus, eos dissipando, & calorem nativum, humido primogenio inhærentem corrumpendo, ac extinguendo, sicq; agmen multorum gravissimorum symptomatum inducendo.

V. Contagiofa rectè dicitur, quia contagium est individuus comes morborum pestilentialium, quod *attica pestis*, quæ ex

A 2

Æthiopiæ

Aethiopiâ eò per *μιάσμη* est propagata, & post illam, numero plures etiamnum hodiè, abundè contestantur.

VI. Epidemica: Morbi qui respectu loci & regionis dividuntur sunt *Sporadici*, specie diversi, eodem tempore grassantes, vel *communes*, & ejusdem speciei, qui omnes, aut plurimos invadunt, eodem tempore, & sunt vel *Endemij*, qui unam aliquam regionem semper tenent, & eveniunt potissimum illius loci vitio, scilicet aeris & aquæ: vel *Epidemij*, qui certo anni tempore in unâ vel pluribus regionibus grassantur, multosq; simul infestant, & sunt *benigni* vel *pestilentes*.

VII. Plerumq; cum febre; quippe sine illâ nonnunquam pestem grassari ejus violentia ostendit, quâ repentè inter paucas horas, inter actiones publicas & domesticas, multi, sine signo febrilis caloris in pulsu aut urinâ, è medio tolluntur, quomodo & *Natura anthraces & bubones* expellere impeditur.

VIII. Plures autem simul invadens dicitur, quod multos uno eodèq; tempore cù impetu aggrediatur, inq; omnes cujusvis ætatis, sexus, temperamenti, & conditionis homines sæviat, populariterq; grassetur, & non paucis perniciem ac mortem inferat.

IX. Subjectum, in quo hæret pestis, quamvis sint omnia membra corporis, quæ ejus venenum virulentum experiuntur, tamen *πρότερον δυνάμειον*, principale illud viscus, vitam ac vigorem reliquis omnibus impertiens, est ipsum *COR*, quod venenum nostro calori insensissimum primò impetit, malignam suam qualitatem ei imprimendo, spiritus occulto modo dissipando, humores inquinando ac corrumpendo, atq; ita nativum calorem, animæ instrumentum, pessundando.

X. Causa sunt duplices, *Interna & Externa:* *Interna proxima* vel in corpore nostro genita est, vel ab extra spiritibus & humoribus impressa & occulta illa, maligna supra dicta, qualitas. *Remota* est morbosus corporis apparatus, qui consistit in *Plethorâ* vel *cacoehymia*, & præcipuè in quâdam ad venenum concipiendum peculiari *analogiâ*.

XI. Externa quæ nostro corpori extrinsecus advenit, est *Theologica* vel *Naturalis*.

XII. Theologica seu *Hyperphysica* est Deus, summus rerum arbiter, qui non juxta *Ordinariam* tantum potestatem, per naturalia me-

lia media, verum etiam secundum absolutam suam omnipotentiam, sine secundarum causarum concursu, pestilenti calamitate hominum scelera vindicare solet.

XIII. *Naturalis est vel principalis seu primaria & per se, vel preparatoria seu ex accidente.*

XIV. *Primaria seu per se, quæ nullo alio interveniente est efficax ad generationem pestis, ut Aer, Contagium.*

XV. *Aer dum Pestis fit Causa, subit enormem alterationem p. n. a Causis Superioribus & inferioribus. Et quidem a Superioribus, propter mutationem qualitarum, non tam manifestarum quam Occultarum, quæ peculiari nomine indignantur Siderrum & Cælorum influenza malignæ, ut & eorundem Coniunctiones, quæ non sæpe corrumpunt aerem, sed eidem malam quandam qualitatem cæcæ, obscuræ, & nostris Sensibus absconditam inducunt, quæ nomen proprium non habet, & ex funesto & horrendo, quem nobis relinquit, effectu cognoscitur: idem præstant Eclipses nonnullæ, & Cometarum apparitiones ac dissolutiones, quorum effectus aeri communicantur, eumque pollunt, nec non sordidæ Constitutiones anni temporum, ut hyems austrina & humida, æstas austrina & silens, sine Ethesijs.*

XVI. *Ab inferioribus Causis aer nos ambiens inquinatur, ac mali moris vicium contrahit, ab halitibus ex locis palustribus, putridis, aut cadaverum nidore infectis, aut terræ specubus & barathris, alijsve corporibus, perniciosæ qualitatis fomitem habentibus, & lethales expirantibus auras.*

XVII. *Sic micropia Cælitus demissum & aeri impressum, intro cum inspiratione & transpiratione subiens, Cor viscus nobilissimum, ac validissimum inficit, & ejus nativum calorem dissipat, & tandem plane extinguit.*

XVIII. *Contagium etiam inter Causam principalem refertur, quod veteres sub aère complexi, quæ duo tamen inter se differunt, quippe aliud est Contagium, & aliud aer, qui excipit Contagium.*

XIX. *Est vero Contagium Seminium viciosum ab ægri corpore emissum, quod in analogo similem morbum gignere aptum natum est.*

XX. Modus autem Communicandi Contagium non est unus idemq; & fit expiratione seu halitu per os emisso, vel transpiratione arteriarum per poros Cutis, quâ *microscopice* attractum inficit Spiritus, humores, & solidam substantiam: vel aliquando mutuo contactu per sudores, & sordes, cuti adhaerentes.

XXI. Sic itaq; communicatum Contagium simile quippiam in nostro corpore generat, non per putredinem simplicem, sed per peculiarem quandam fermentationem, quâ instar fermenti subigentis & penetrantis massam in analogo Corpore inducit similem dispositionem, quam tandem corrupto nativo calore sapissimè subsequitur putredo, nisi fortassis Mors anticipet, ægrumq; protinus ante illius eruptionem pessundet.

XXII. Causa Minus principalis, principaliori inserviens seu preparatoria, quæ ad suscipiendam pestem Corpora disponit & præparat, est prava victus ratio, & non raro Imaginatio.

XXIII. Prava victus ratio non immeritò dicitur pestis Causa preparatoria, quando alimenta corrupta, & putres aquæ, temperamentum immutant, pravy succos cumulant, vitale robur exsolvunt, vadè non tantum humorum putredo, sed & tanta eorundem subsequitur corruptio, ut venenatam, ac pestilentem induant qualitatem, quæ tandem per mutuam conversationem, ex venenatâ expiratione, multis communicatur.

XXIV. Huc tamen & plurimum facit morbosus apparatus Corporis, de quo paulò ante diximus.

XXV. Cum verò pestis plerumq; cum aliquo manifestarum qualitatum excessu & humorum putredine concurrat, utiq; illius seminaria, in colluyie humorum pravorum facilius agunt radices, ac ob id interdum perniciosius pestilentiam tanguntur loca Austro obiecta, calida, & humida, tetrus expirationibus infecta, paludosa, quam Aquilonia & orientalia.

XXVI. Læduntur quoq; illa corpora in peste magis per se, quæ calida & humida, multis pravis humoribus repleta; quæ a naturâ habent rariora Cutis spiramenta, quorum raritate aura venenata facilius intra corpus penetrat, spiritus & humores inficiens.

XXVI. Præ-

XXVII. *Præterea* omnia ab ortu imbecillia corpora, & illa, quæ jam ægra sunt, ad *Pestem* proclivitatem habere videntur, dum veneno nequeunt resistere, nisi fortasse quispiam Podagricos, Arthriticos, lue Gallicâ vel & aliâ scabie infectos, in quibus robore naturæ ad Cutem propellantur excrementa, excipere velit.

XXVIII. *Per accidens* peste inficiuntur Corpora, quæ balnea, thermas & publica exercitia frequentant, cum illorum Cutis spiracula dilarentur, & sæpius aërem attrahere cogantur.

XXIX. Quamvis verò hæc omnia verò consona, requiritur tamen perpetuò quædam analogia Corporis, ob quam facile concipitur virus, quæ consistit in peculiari quadam dispositione & imbecillitate *Cordis*, quâ veneno non amplius, vel non satis forriter resistit, quæ nequit definiri, ob quam consanguinei à consanguineis imprimis inficiuntur, imò nonnullæ familiaræ integræ delentur.

XXX. Deindè inter *Causis præparatorias* refertur ipsa *Imaginatio*, cujus in corpus, & ejusdem humores concitandos, magna & penè incredibilis vis est, dum metu mortis imminuentis, ab exterioribus ad interiora revocat Spiritus, qui relictis excubijs rectâ ad arcem, ubi Rex vitæ obtinet principatum, confugientes, hosti monstrant viam, ita ut perturbatis humoribus, ac spiritibus dissipatis ac corruptis, omnia vitæ præsidia necessariò collabantur.

XXXI. Excussis atq; explicatis ita *pestis* omnibus causis, ratio Methodi requirit, etiam Signorum explicationem, quæ præsentem statum, & futurum morbi exitum aperiunt, exponere, suntq; vel *Antecedentia*, vel *adjuncta*, vel *Consequentia*.

XXXII. *Antecedentia* signa sunt primò *Cælestia*, malignæ siderum Conjunctiones, eorundemq; infelices aspectus, ut Saturni & Martis, comætarum ac variorum phasmatû apparitiones; *Demde* *Aërea*, insolita constitutio anni temporum, pluvia portentosa sanguinis, Ranarum, Lumbricorum, migratio avium ex nidis, desertio pullorum, insolitus & repentinus proventus muscarum, araneorum, bufonum & similium insectorum, Esculenta aëri exposita justo citius putrescentia, Contagium serpens sine
Conver-

Conversatione cum infectis, morborum malignorum, Petechiarum, variolarum antegressus. Tertio *Terrea*, fructus multiplices & varij, multis vermibus scatentes, repentina strages ovium, ingens Terræ motus & concussio. Quarto *Aquea*, fœtor & putredo aquarum, piscium & Ranarum fluminibus innatantium repentinus & magnus interitus, insolentes aquarum excursus.

XXXIII. *Adjuncta* quæ pestem comitantur, sunt *Bubones* & *Carbunculi*, qui si in viciniâ peste grassante, cum gravibus symptomatibus & ægri interitu, sub alis, Cordis emunctorijs, vel & alibi apparent, non levem de peste inferunt suspicionem, ut & *contagium*, individuus comes morborum pestilentialium, ac demùm plurimorum interitus.

XXXIV. *Consequentia* sunt *Lesæ actiones*, *Excreta*, *Qualitates mutatae*. *Actiones lesæ* sunt *Animales*, *Vitales*, *Naturales*.

XXXV. *Animales* oblivio, Delirium, vigiliæ, veterus, Convulsiones, Spasmi, Palpitationes, Singultus, visus hallucinatio, Sibilus Aurium, Dolor capitis, stupor.

XXXVI. *Vitales*, quæ suæ jacturæ notas edunt per pulsus, debiles, celeres, languidos, Syncopen, Crebriorem Cordis palpitationem.

XXXVII. *Naturales* se produnt *inappetentiâ*, vomitibus enormibus, siti immensâ, Cardialgiâ &c.

XXXVIII. *Excreta* sunt varia, hæmorrhagiæ, Alvi fluxus fœtidi, colliquativi, Bubones, Carbunculi, urina subindè mutabilis, aliquando sanorum similis, aliquando crassa & conturbata.

XXXIX. *Qualitates mutatae*, fœdus color totius corporis varijs modis deturpati, Linguae scabrities & ariditas, oculorum color lividus, instar flentium, facies Hippocratica, visu horrenda, & plumbeo tinctâ colore.

XL. *Notandum* autem non semper esse necessarium, ut in quâlibet peste hæc omnia, sed nunc hæc, nunc illa, pro veneni pestilentis & infecti corporis ratione, appareant.

XLI. Nunc ad *Prognostica*, quæ faustum & infaustum morbi exitum ancipiti casu aperiunt, teste Hipp. 2. Aph. 19.

XLII. Cum vero *Pestis* celeriter, magnâ cum vehementiâ

tiâ

tiâ progrediatur, meritò ad Classẽ morborum acutissimorum
refertur, & periculosus habetur, usq; adeo ut ejus stragem pauci
evadant. Gal. 3. Epi. com 3. t. 56.

XLIII. Salutem denunciant, constare mente, non vexari
delirijs, vigilijs, sopore, facultates præcipuorum sensuum inte-
græ, Respiratio libera, Pulsus naturalis, appetentia firma, alvus
moderatè laxa, sudor universalis die decretorio, Bubones, Car-
bunculos, exanthemata excludens, cum Naturæ victoriâ & sym-
ptomatum remissione.

XLIV. Lethalia contra, Hæmorrhagia ex naribus, ore, fau-
cibus, in principio funestissima: vomitus ab initio enormes,
nigri, semper sunt lethales. Bubones, carbunculi, in emun-
ctorijs emergentes, & sine evidenti causâ evanescentes, ma-
lum. Bubo febris superveniens sine levamine funestus. Bubo-
ne aut carbunculo erumpente, si somnus subrepat, malum.

XLV. Atq; ita pestis naturâ consideratâ, pergimus ad auxi-
lia, quibus ab imminente defendamur, & a præsentis liberemur,
quorum unum dicitur *περὸ Φύλαξιν* præservatio, quæ causæ de-
betur antecedenti, alterum *θεραπεία* seu Curatio, quæ debetur
conjunctæ, & incumbit profligando morbo.

XLVI. Præservatio autem, quæ in Causæ externæ remotio-
ne, corporis præparatione & præmunitione, Naturæ corrobora-
tione, consistit, est *generalis* vel *specialis*.

XLVII. Generalis pestis prophylaxis est ipsa fuga, quam
protinus illi capebant, quibus id integrum, qui nullo publico,
vel privato vinculo impediti, cum vis contagij quempiam oc-
cuparit locum, & quidem *longè*, ad saluberrima loca, nec prius
de reditu, quam Contagium omninò consopitum, dissipatum,
extinctumq; sit, cogitent.

XLVIII. Specialis est *Theologica*, *Politica*, *Medica*.

XLIX. Theologica, quæ maximè in devotâ, ac ardenti ad
Deum precatone, & verâ cum Deo reconciliatione, ac vitæ
religiosâ emendatione consistit, quâ pœnæ, ac afflictiones in-
numera, nostris cervicibus imminentes, placantur, & aver-
tuntur, imò periculosissimi, ac lethales, ex singulari Dei mi-
sericordiâ

B

sericordiâ

sericordiã, morbi fiunt salutare, quod verissimè docet Hiskia Regis exemplum.

L. Politica, si Magistratus, quod est suarum partium, satagat, suspectos homines ex locis suspectis advenientes ab urbe, cum modestiã tamen & humanitate, excludendo; publicos conventus Balneorum, nundinarum &c, interdicens; ædes infectorum, itã tamen, ut in auxilium vitæ viri & faminz, vitæ morumq; probitate conspicuæ, assignentur, obserando: plateas, & urbes ab omni sorditie expurgando; Cadavera putrescentia extra urbem sepeliendo; specus & barathra malignum expirantia obstruendo; annonam purridam meliori commutando, aquas stagnantes atq; putrescentes superinductis fluminum rivulis emendando.

LI. Tertia prophylaxis dicitur Medica, quæ inprimis aëris pestiferi seu maligni incumbit correctioni, ædes ab insalubrium ventorum ingressu muniendo, aërem humidum, calidum ac nebulosum fugiendo, Aquilonem maxime eligendo, qui corporis meatus, & poros cutis adstringendo, Naturæ robur intus continet, & putredini resistit.

LII. Quin & tetri halitus in aere suscepti tormentis bellicis, ac ignibus, tam publicis per plateas, quàm privatis vesperi noctu, & manè ex salicib; siccis, ligno fagino, quercino, Juniperino extructis, uti & odoratis suffitibus discutiantur ac absumentur, imò & purificatus aer conclavium aceti, aq. Rosac. vini, in quibus parum Camph. sit dissolutum, irrotatione, item insperione ex flor. Ros. siccar. salviæ, Rorisinar. & similibus conservabitur.

LIII. In publicum proditurus, horas ab ortu solis duas præter labi sinat, ut aër caliginosus & maligni vapores discurantur, demùm factis ad Deum precibus, os aceto Rosac. abluat, Nares, axillas, Carpos pro Cordis corroboratione, Ol. vel Balsam. alexipharmaco inungat, neq; jejunijs exeat, interq; eundem subindè Rad. Angel. zedoar. cortic. citri masticer, ac infectorum hominum frequentiam, quantum licet, fugiat, & ore averso, ac vento observato, cum infectis colloquatur.

LIV. Quibus cura visitandi ægros commissa, sericis aut similibus.

milibus glabris vestibus induti sint, utpotè quæ difficilius contagij venenum recipiunt, quarum etiam crebræ permutationi & eventilationi, quoties per infecta loca transferunt, aut cum infectis, vel suspectis conversati fuerunt, decenter incumbant.

LVI. *Primo ita præservationis absoluto scopo, sequitur & alter, ipsa Corporis præparatio & præmunitio, quippe non tantum agenti, ut non habeat tantam vim imprimendi, sed etiam resistenti seu patienti, ne quovis impetu impressionem recipiat, prospiciendum: quod commodissimè triplici perficitur auxilio, Diætâ, Chirurgiâ, Pharmaciâ.*

LVI. *Diætâ, quâ, ne, noxia in humano corpore generentur excrementa, impeditur, sex rerum nonnaturalium congruo usu absolvitur.*

LVII. *Cum verò Corpora Plethorâ ac Cacochymia obfessa, citius reliquis omnibus, huic labi sint obnoxia, ac seminaria & pellis miasmata per aërem dispersa promptissimè in se suscipiât, merito tempore Contagij serpentis, plethorâ, venæ sectione, ac humorum colluvies, purgatione erit exterminanda.*

LVIII. *Venæ tamen sectio, ob exhaustionem spirituum, quorum maximè habenda ratio, debet esse moderata.*

LIX. *Et locum ejus supplet, si vires, & alia illam non admittant, Cucurbitulæ cum scarificatione, ex quibus, si debite & diversis applicentur locis, sæpè non minor, quàm ex phlebotomiâ subsequitur utilitas.*

LX. *Purgatio pro arbitrio prudentis Medici fit, tum per cathartica, tum per emetica.*

LXI. *Inter Cathartica, pro ratione materiæ peccantè adaptari queunt Rhabar. Senna, Agaric. quæ suâ amaritudine & ficitate putredini resistunt, & corpus ab ichoribus serosis sine perturbatione liberant.*

LXII. *Inter Vomitiva, quæ tantum pronis ad Vomitum ac robustis, materiâ in Ventriculo & venis circa illum proximioribus potissimè existente, non inutiliter exhibeantur, numerantur maximè proficuum Diasarum Fernelij, Crocus Metallorum, Salsæ Vitrioli, Flores Antimonij, qui simul etiam sudores eliciunt.*

LXIII. *Tandem & Cauteriorum, tam actualium, quàm potentialium,*

salium usus non est prætereundus, quæ multas ichorosas humiditates, fomitem pestiferæ infectionis, detrahendo, certis & brachiorum ac surarum partibus, à perito Chirurgo applicata, multos in peste servasse, omnium rerum Magistra edocuit experientia.

LXIV. Corpus ità à plethorâ & illuvie humorum repugatum, requirit insuper *Corroborationem*, tertium & ultimum præservationis scopum, ut Cor & omnia viscera præsidio alexipharmacorum, contra malignam infectionem, ac venenatæ auræ occursionem, nec non internæ putredinis generationem, præmuniantur & conserventur. Sunt autem talia *Interna*, vel *Externa*:

LXV. *Interna Simplicia* sunt, Bolus Armen. Terra sigilli C. C. Corall. Margarit. Succus Limon. citr. Acetosæ, Sal. Corall. Perlar. Gemm. & Lapid. preciosi præparati, Tinctura Croci, Auri, Ok. Cinam. Confer. Rosar. Sal absynt. Angel. ulmar. Fraxin. Imperat. Extract. Myrrh. Croci, Scordij, Enulæ, Aloes, Ol. Camph. Spir. & Lac Sulphuris, Spir. Victrioli, Nitri, Bezoartic. Mineralitem Rad. Angelic. Aristoloch. utriusque, Scorzonæ. Imperator. Gentian. Beton. Bistortæ, Chelidon. Flor. Calend. Tunicæ, Fol. Card. benedict. Bacca. Jnniper. Herb. Rutæ, Absinthij, Ulmar. Scordij, Veronic. laudatur & Vincetoxicum, Dictamnium, Morfus Diaboli, Lignum aloes, Camphora.

LXVI. *Composita* sunt *Electuar.* de Nuc. Jugland. scord. de ligno Aloes, Diascord. Fracastor. Theriac. Mithridat. Consect. Liberant. Cortic. aurant. citri, Conserv. calendul. flor. Tunicæ, Pulvis aureus Joelis, Aq. Theriac. Elixir. pestilent. Crollij.

LXVII. *Observandum* autem prædicta tam præservationi quam curationi convenire, sed hanc majorem quantitatem desiderare, quin & ne Natura ijs assuescat, subindè ea permutanda esse.

LXVIII. *Hic* & locum habet *externus usus alexipharmacorum*, qualia solent esse *poma odorata*, Globulus ex ligno fraxineo vel Juniperino, cujus cavitati spongia imbuta aceto Rosac. Rutac. includatur, quomodo castoreum, & Assam fœtidam impositam nonnulli commendant. *Unguenta* etiam admoventur, tam *Naribus*,
estac

estate ex aq. Ros. acet. Rosac. *hyeme*, aceto Rut. Theriac. cum
Rutæ succo, quàm *Cordi*, ex ol. Citri, sem. Angel. Cinam. Un g
ex adipe serpent. Theriac. cum succo Limon. ol. Scorpion.

LXX. Tandem & huc referenda sunt *Amuleta*, quæ non
tantum ex alexipharmacis, vires cordis roborantibus, sed etiam
ex *Arsenico*, alijsque vitali calori aliàs aduersissimo, concinnata,
supra regionem Cordis utilissimè gestata fuisse non nemo ob-
servavit.

LXX. Et hæc de *Præservatione*: nunc ad ipsam pergitur
curationem, quæ consistit in morbi *expulsione*, *virium corroboratione*,
Bubonum, *Carbunculorum*, & reliquorum *symptomatum amolli-*
tione.

LXXI. Ut verò *prima indicatio* felici possit absolvi successu,
& venenum in corpore generatum, vel inspiratione attractum,
protinus eliminetur, non nimium calefacientia, sed temperata
alexipharmaca, decenti modo & tempore exhibeantur.

LXXII. Statim igitur, ubi levissima quædam de Veneno
attracto adest suspicio, æger somno abstinens, absque insigni
plethorâ, *Cacochymia*, vacuo Stomacho, alvo Naturâ vel arte a-
perta, assumptis alexipharmacis, cubiculo bene clauso ac calido,
rectus stragulis, sudori ad horam & diutius, si valent vires, sese
componat, quo ritè peracto, calidis linteis corpus exsiccan-
dum, ac detergendum, & quantum fieri potest, deindè optimis
Jusculis, pullorum, Vino diluto aq. Rosar. destill. Capon. refi-
ciendus, idque non semel, sed prout necessitas flagitat, aliquo-
ties repetendum, donec Venenum ex corpore sit expulsum.

LXXIII. Quin & *externa præsidia* neutiquam negligenda;
nihil enim non tentandum, quò *Cordi* ac *Spiritibus Vitalibus*,
præ cæteris malignâ hac lue laborantibus, robur affletur.

LXXIV. Et quidem *horum quædam* vel *veneni vires infringunt*,
& *Cor corroborant*, vel *vi magneticâ* conceptum virus extrahunt:
Quæ Veneni vires infringunt, ac *Cor corroborant*, sunt *Epithemata*, *Sac-*
culi, *Inunctiones*, quæ concinnantur ex aq. Rosar. Beton. Acetos.
Borag. Meliss. Succ. Citri, Cydon. acet. Ros. cum Croco, ac lin-
teolis madefactis *Cordis regioni* imponuntur, idq; in vigore mor-

B. 3

bi,

bi, quando *Cor* vehementer æstuat, ut illud firmetur, spiritus reficiantur, putridus calor attemperetur.

LXXV. Quæ vero magneticâ vi conceptum virus extrahunt, sunt Oleum Scorpionis, Bufo exsiccat, Theriaca.

LXXVI. Quamvis etiam, *venæ sectio* & *Purgatio*, *pestis Curæ* non semper convenient, tamen si ingens veneni fomes vel cacochymia in corpore reperiatur, & æquè ac ex veneno inde immineat periculum, statim in *principio*, validis viribus existentibus, cæterisq; omnibus consentientibus, hanc medicamentis *Catharticis*, immistis tamen bezoardicis, non sine ægri commodo evacuabimus, ne febris flagrantissima, ab usu calidorum alexipharmacorum magis incendatur, ac venenum ab humoribus corruptis evadat fortius, latiusq; sese diffundat, inq; principem ruens partem, lethalem protinus reddat morbum.

LXXVII. De *Venæ sectione in peste instituendâ*, tam discors est Medicorum cohors, ut vix aliquid queat definiri, rationem verò & experientiam quorundam Medicorum fide dignissimo- rum observantes, sentimus, pro *pestis* ab externis causis productæ curatione, *venæ sectionem*, præsertim in corporibus minus *plethoricis*, minus *phlebotomiæ* assuetis, itemq; *debilibus*, ac per horas 7. 8. 10. vel plures, veneno jam obsessis, institutam, non modò esse supervacaneam, sed etiam cum ingenti ac præsentis vitæ periculo conjunctam: Si verò æger sit admodum *plethoricus*, & non solum signa *pestis*, sed & implicitæ constitutionis *putridæ* Symptomata, ab æstu fervoreq; prodeuntia, animadvertantur, neq; quidpiam sanguinis missionem impediatur, non alieni ab illâ erimus, statim tamen in *principio*, & istius plus vel minus, pro ratione plenitudinis, ætatis, anni temporis, aliarumq; circumstantiarum, ex incisâ dextri vel sinistri lateris venâ eliciemus, neutiquam interea Bezoarticorum decentem usum negligentes.

LXXVIII. *Bubonum* utri & *Carbunculorum* Curatio medicamentorum *Internorum*, pariterq; *Externorum* usu perficitur.

LXXIX. Et, si incipient erumpere, statim non solum Bezoardicis internè exhibitis promovendi, & ab interioribus ad *Extèriora*, a nobilioribus ad ignobiliora expellendi, sed &

Exter-


Externis admotis, & quidem *defensivo* adhibito, ne latius serpent, idq; imprimis in Carbunculo, primò *atrabentibus* utendum, inter quæ præcipuè commendantur *Cucurbitula* non Scarificata, cum multâ flammâ, *Cataplasma* ex Mithridatio cum cæpis, Bufo Exsiccatuſ ac impositus, appositio Gallinarum & pullo- rum dissectorum adhuc calentium.


LXXX. Dehinc *Emollientibus* & *laxantibus*, ut Empl. Melilot. ac fotui convenienti insistendum, ita tamen ut sæpius renouentur, ne transpiratio prohibeatur, quibus uno vel altero die adhibitis, si nõ inducatur maturitas, statim, ut veneno pateat exitus, novaculâ vel cauterio aperientur, cavendo, ne nervus, vena & arteria lædatur; aperti diu Rad. Gentianæ, quæ instar turundæ inditur, seruentur, tandem mundificantibus repurgati, & escharâ exemptâ, ulcera carne repleta consolidantibus percurentur.


LXXXI. Præterea etiam *ebullitis* ac fervor sanguinis, Victu & potu, cui alexipharmaca sunt immista, nec non *Epitheimatibus*, cordi & carpi applicandis, compeſcetur, qualia inter superiora annotata dedimus.

LXXXII. Reliquorum accidentium Correctionem & ablationem, tam generali medendi methodo, quàm probatorum Practicorum doctrinâ passim notissimâ, Deo conatus nostros & actiones fortunante, feliciter expediemus.









Externis admotis, & quidem defensivo adhibito, ne
idq; inprimis in Carbunculo, primo attrahent
inter quæ præcipue commendantur Cucurbitul
catæ, cum multâ flammâ, Cataplasma ex Mithrida
Bufo Exsiccatu ac impositus, appositio Gallin
rum dissectorum adhuc calentium.

LXXX. Dehinc Emollientibus & laxantibus, u
lot. ac fortui convenienti insistendum, ita tan
renoventur, ne transpiratio prohibeatur, qu
altero die adhibitis, si nõ inducatur maturitas, sta
pateat exitus, novaculâ vel cauterio aperientur
nervus, vena & arteria lædatur; aperti diu R
quæ instar turundæ inditur, ferventur, tandem
bis repurgati, & escharâ exemptâ, ulcera car
solidantibus percurentur.

LXXXI. Præterea etiam ebullitio ac ferv
Vitu & potu, cui alexipharmaca sunt immista,
matibus, cordi & carpi applicandis, compescetur,
periora annotata dedimus.

LXXXII. Reliquorum accidentium Correct
tionem, tam generali medendi methodo, quâ
Prætorum doctrinâ passim notissimâ, De
nostros & actiones fortunante, felicite
pediemus.

